

OO F

60 L.

Opuscula apud Scriptores Africani, 12. 22.

B. o. 515.

H. Hornel  
S. 66. v. 4. 1844.



# THEODVLI E C L O G A.

---

AD

CODICES MSS. VETERESQVE EDITIONES  
RECENSUIT ET CVM LECTIONIS VARIETATE  
ITEMQVE COMMENTATIONE CRITICA

E D I D I T

I. G. S C H W A B E.



KEN: DOM-  
GYMNASIUM  
ZU  
MAGDEBURG.

---

AL TEN BVRGI  
EX OFFICINA RICHTERIA  
CIO IOCC LXXIII.

collat. h

THEODORI

H C T O G A.

ca.

GODERIUS MUR ALDRIE D'AS EDITIONES  
EXCEPTEAAT ET EX PARISIANAE AVARIAE  
LUDOVICAT COMMUNICATISSIMA CENSITAE

EDIDIT

IGE SCHWAE.



L2M,  
/

SERENISSIMO PRINCIPI  
AC DOMINO  
DOMINO  
CAROLO AVGUSTO  
DVCI SAXONIAE  
IVLIACI CLIVIAE AC MONTIVM  
ANGARIAE ET WESTPHALIAE  
LANDGRAVIO THVRINGIAE  
MARCHIONI MISNIAE  
PRINCIPIS DIGNITATE COMITI HENNEBERGICO  
COMITI MARCAE ET RAVENSBERGAE  
DYNASTAE RAVENSTENII

PRINCIPI AC DOMINO  
SVO CLEMENTISSIMO  
PATRI PATRIA E  
PIO FELICI AVGUSTO

SEREMONIIS PRINCIPI  
SVMMAE SVAE PIETATIS PUBLICVM  
EXSTARET MONIMENTVM VTQUE  
PROVINCIAM CLEMENTISSIME SIBI  
DEMANDATAM IN NON PLANE  
INDIGNVM COLLATAM FVISSE  
OSTENDERET

HVNCC E LIBELLVM

PANDERAVIT THAURINUS  
MAXIMONI MISERIC  
BRUNNUS PUMILUS COTTIUS HINCENEGO  
COMTE MARIAE ET RAVENSBERG  
DEMASTAE LAVANTINI

SUMMA PIETATE  
CVM VOTIS SANCTISSIMIS  
CONSECRAVIT  
L G S SCHWABE.



## P R A E F A T I O.

I. *Instituti ratio.* II. *De Theodulo presbytero.* III. *An fuerit Nilus pater Theoduli presbyteri?* IIII. *Theodusius Dexoxos, et Theodulus Kuvirys.* V. *De Thoma Magistro, seu Theodulo monacho.* VI. *Theodulus, auctor Eclogae, quis?* VII. *Non Ioannem Chrysostomum, sed Theodulum, saec. X clarum, auctorem eclogae esse demonstratur.* VIII. *Theodulus est proprium auctoris nomen, non fictum.* VIIII. *Mors Theoduli.* X. *Eclogam, non eclogas conscripsit.* XI. *Imitatus est Theodulum Ioannes Wicleffus.* XII. *De versuum leoninorum ἐπιμολυγεσ.* XIII. *De eorum origine et usu in arte poetica.* XIIII. *De iis, qui carmina leonina litteris consignarunt.* XV. *De Codicibus Theoduli MSS. et quidem de Guelferbytanis.* XVI. *De Helmstadiensi.* XVII. *De Mulleriano.* XVIII. *De aliis Theoduli codicibus.* XVIII. *Editiones Theoduli recententur.* XX. *De Commentariis in Theodolum exponitur, ac primo quidem de commentario Bernardi.* XXI. *De commentario Stephani Patringoni.* XXII. *Conclusio.*



anta est Theodoli, cuius Eclogam recu-  
dendam curauimus, raritas, ut, quam-  
vis, saeculo in primis typographico, saepissime  
publicae fuerit luci expositus, in maximis tamen

A 3 bibli-

bibliothecis frustra quaeratur. Accedit, quod in omnibus fere editionibus, praeceps in nouissima, anno cōcioCXVIII. a Goldasto iuris publici facta <sup>a</sup>, adeo deformis impressus fit, ut LABBEVS abhinc multis annis, Theodulum iterum prodire ac rugas nacuosque ponere, valde efflagitare, memoriae non sine ratione prodiderit <sup>b</sup>. Quae quidem ita profecto comparata sunt, ut laborem haud ingratum in me suscepturn esse, existimauerim, si nouam Theoduli editionem, eamque castigatiorem, cum rei litterariae amatoribus communicarem. Cui quidem proposito accessit blandus hortatus viri doctissimi C. G. MULLERI, a consiliis aulae ac regiminis Vinariensis longe meritissimi, cuius in seriis latebat vetustus Theoduli Codex MSC. ille, de quo fusius differendi infra erit occasio, cuiusque copiam mihi libenter fecit litterarum amantissimus atque excellenti ingenio ac doctrina instructus MULLERVS. Antea vero, quam nouae editionis rationem reddam, ut generatim quaedam de Theodulo eiusque scriptis in medium proferam, ordinis ratio postulare videtur. Quae vero ut distinctius intelligantur, pauca de iis exponam necesse est, qui Theoduli nomine olim fuere signati.

## II.

<sup>a)</sup> Exstat in eius *Manual.* 1618. 8. <sup>b)</sup> Nov. *Biblioth. biblic.* seu *Enchirid. sacr.* MSS. p. 64.  
*Scriptur.* p. 22 — 33. Frſſ.

## II

Ac primūn quidem locum occupat THEODVS  
Coelsyriae presbyter et postea episcopus, vir,  
vt ait TRITHEMIUS <sup>c)</sup> in diuinis scripturis eru-  
ditus, et in saccularibus litteris nobiliter doctus,  
a quibusdam Theodorus adpellatus <sup>d!</sup>. GENNA-  
DIUS Massiliensis haec de eo litteris confignauit <sup>e:</sup>  
scripsisse multa dicitur, sed ad me liber eius perue-  
nit, quem de consonantia diuinae scripturae com-  
positus aduersum antiquos haereticos, qui propter  
differentiam praeceptorum, vel caerimoniārum,  
alium V. T. deum dixerunt, alium noui. In quo  
ostendit, dispensationis fuisse unius eiusdemque dei,  
auctoris utriusque scripturae, vt alia per Moysem  
antiquis daretur lex, in sacrificiorum caerimoniis  
et iudiciorum animaduersionibus; alia nobis per  
Christi praesentiam in sacris mysteriis et futuris  
reppromissionibus; nec diuersa credi debere, sed uno  
spiritu et uno auctore dictata, cum illa lex, quae,  
si modo secundum litteram obseruetur, occiderit,  
eademque ipsa secundum spiritualem intellectum vi-  
uificet.

A 4

c) De Scriptt. eccles. cap. 91. p. 71. in MIRAEI  
185. Biblioth. eccles. p. 41. Ien.

d) Ab HONORIO Augu- 1703. 4. cf. POSSEVINI  
stodunens. de Scriptt. eccles. Appar. Sac. T. II. p. 469.  
Lib. II. cap. 90. apud MI- Col. 1608. fol. SIXTI  
RAEVVM in Biblioth. eccles. Senens. Biblioth. Sanct. Lib.  
p. 122. III. p. 302. edit. Io. HAY\*

e) De Scriptt. eccles. cap. Parisi. 1610. fol.

*uifacet.* Atque idem GENNADIUS<sup>f</sup> Theodulum ante triennium, id est circa annum CCCCLXXX usque ad CCCCLXXXII. imperante Zenone, sub quo itidem claruit <sup>g</sup>, e vita excessisse, testatur <sup>h</sup>. Concilio Ephesino interfuit <sup>i</sup>, ac diuērſa opuscula partim soluta oratione partim carmine scripsit, quae nunc non videntur exſtare <sup>k</sup>; quemadmodum de consonantia diuinac Scripturae librum in deperditis habendum esse, tam certum est, quam quod certissimum <sup>l</sup>. Succincta autem Theoduli enarratio in epistolam ad Romanos, ex sententiis graecorum patrum ad modum catenae conscripta <sup>m</sup>, quae latine ex IOANNIS LONICERI versione exſtat in *Orthodoxographis* <sup>n</sup>, in *Patrum bibliotheca maxima* <sup>o</sup>, et graece in codice bibliothecae Coislinianae,

<sup>f)</sup> L. c. coll. FABRICII <sup>1)</sup> IOECHERI *Celebrten-*  
B. G. Vol. X. Lib. V. cap. 45. *Lexicon T. IV.* p. 1114. fq.  
p. 546.

<sup>g)</sup> HONORIVS *Aug. I. c.* <sup>m)</sup> vide *Biblioth. Thuan.*  
<sup>h)</sup> SIXTVS *Senens. I. c.* p. 13. *Catalog. bibliotec.*  
et POSSEVINVS *I. c.* *Bodlejan. voc. Theodulus;*  
Theodulum anno CCCC *Biblioth. Bigotian. P. II.*  
LXXX. vitam cum morte commutasse, perhibent.  
Regnauit autem Zeno ab anno CCCCLXXIII — <sup>p. 79.</sup>  
CCCCLXXXI.

<sup>i)</sup> MORERY *Diction. biflor. T. IV.* p. 469. <sup>o)</sup> T. VIII. p. 587. edit.

<sup>k)</sup> TRITHEMIVS *I. c.* MARG. DE LA BIGNE  
cap. 185. *Catal. bibl. acad.* Lugd. 1677. fol. vide et  
Franeker. p. 28. 1656. fol. *Bibliothec. magnam T. I.*  
p. 495. Paris. 1654. fol.

nae p neutquam ab ea diuersa est, quam sub Oecumenii titulo graece et latine habemus <sup>q</sup>. Minime enim a veritatis forma abesse, quae modo adfirmari, vel ex eo patet, quod catena memorata non solum ex Basilio, Chrysostomo, Seueriano, Isidoro, Gennadio, Gregorio Nazianzeno, sed et ex Photio ac Oecumenio, Theodulo longe recentioribus, fuerit contexta <sup>r</sup>. Dic i vix potest, quanto fallantur opere, qui huncce Theodulum cum nostro vel confundunt, vel ex uno Gennadii Theodulo duos faciunt Theodoros, seu Theodulos, quo referendi sunt TRITHEMIUS <sup>s</sup>, SIXTVS SENENSIS <sup>t</sup>, POSSEVINVS <sup>u</sup>, quos deinde alii sequuti sunt <sup>x</sup>.

A 5

Id

p) Auctore BERNARDO DE MONTFAVCON p. 267.

XIII. et in alio, saeculo XI. scripto. vide BERNARDI

q) FABRICII B. G. Vol. VIII. p. 250.

DE MONTFAVCON

Biblioth. Coisliv. p. 41. 42. 43.

r) CAVE *Histor. litter. Scriptt. ecclesi.* T. I. p. 456. edit. Baf. 1741. fol. cf. SIXTVS Senensis B. S. L. III. p. 302. POSSEVINVS l. c. MORERY l. c. T. IV. p. 469. coll. T. VI. p. 564. Attamen Theodulus inter auctores catenae in Leuiticum, Numeros, Deuteronomium, librum Iosuac, Iudices, Ruth, quatuor regum libros refertur in codice membranaceo saeculi

f) De S. E. cap. 185.

t) Biblioth. Sanct. p. 302.

u) App. Sac. T. II. p. 469.

*Idem (Coelesyriae presbyter)* inquit, *eclogarum volumen carminibus edidit, in quo omnia miracula V. T. et poetarum fabulas, ad ipsorum imitationem ab eis confitas, felicissime cecinit.* *Eius initium est: Aethiopum terras cet.*

x) ESCHENBACH in diff. de poet. christian. Sacr. Graec.

Id enim modo nominatos scriptores mira plane oscitantia fecisse, ex eo satis luculenter adparet, quod **HONORIVS Auguſtodenenſis** et Theodorum, quem **GENNADIVS Massiliensis** <sup>z</sup> Theodulum adpellat, presbyterum et episcopum in Coelesyria, a Theodulo, cuius eclogam edidimus, disertis verbis diliguit <sup>a</sup>. Quibus modo a me demonstratis accedit argumentum, quod si cum praecedenti coniungatur, meo quidem iudicio haud sane contemni posse videtur, Gennadium, qui aliquot annos post Theodulum presbyterum vixit <sup>b</sup>, haudquaquam eclogae fecisse mentionem, quam tamen librum de *conſonantia diuinæ ſcripturæ*, Theodulo auctore, ad ſe perueniſſe contendat.

## III

Haud immerito quaeflio potest hoc loco moueri, vtrum Nilus ille, cuius vitam **CAVEVS** <sup>c</sup>, **OVIDIUS**,

NVs,

*Græc. et Lat. Sccl. II. §. 23.*  
**LIL.** *GYRALDV* in *bijl. poetar. dialog.* V. *FRISIVS* in *biblioth.* p. 778. *Tiguri* 1583. *VOSSIUS de historic. lat. Lib. III. cap. III.* p. 747. *ID. de poet. latin.* p. 64. *KOENIG* in *Biblioth. vet. et nov. voc. Theodulus.* *RENNAT.* *MOREAU de versib. leonin.* in *GEBAVERI* *differt. antholog.* p. 346.

y) De S. E. Lib. II. cap. 90.

z) De S. E. cap. 91.

a) *FREYTAG in appar. litter.* T. I. p. 498. *FABRICIVS* in *B. G. Vol. X. Lib. V. cap. 45.* p. 546. *CAVEVS* l. c. p. 456. *LEYSERV* in *Hist. poet. med. aev.* p. 293.

b) Ait enim l. c. moritur ante triennium, regnante Zenone.

c) De S. E. T. I. p. 428.

NVS<sup>d</sup>, ac LEO ALLATIVS<sup>e</sup>, descriperunt; fuerit pater Theoduli presbyteri? Ac nos quidem non valde errare putamus, si, hanc rem ita sese habere, statuimus. Nilus autem, patria Constantinopolitanus, nobilitate generis atque opibus illustris, claruit anno CCCCXXX. qui quin per aliquot annos vitam saecularem egisset, ut pietatem, cuius rudimenta a Chrysostomo praeceptore olim hauserat, acrius vrgeret; aegre vxori persuasit, vt, sibi in Aegypti solitudines secedere, et monasticam deinceps vitam degere licet. Adsumto igitur, inquit CAVEVS, secum Theodulo filio, Aegyptum petiit, et exoptatum vitae genus instituit. Verum dum suauissima monachorum Nitriensium consuetudine fruitur, repente irruentes barbari filium eius Theodulum cum multis aliis captiuum abduxerunt, quem dum sollicite perquireret, ipse a barbaris captus est; mox tamen ab iisdem liberatus, filium Elusae reperit apud urbis episcopum, a quo ipse, inuitus licet, presbyter ordinatus, regnante demum Martiano obiit<sup>f</sup>. At vero rebus rite inter se com-

paratis

d) Commentar. de Scriptt. rationes VII. de caede mon-  
eccles. T. I. p. 1254.

e) Diatrib. de Nilis, cum  
Nili epistolis Romae 1668.  
fol. impressa. Addatur DV  
PIN Nouvelle B. E. T. IV.  
p. 26. sqq.

f) Scripsit NILVS inter  
alia ingenii documenta Nar-  
ationes VII. de caede mon-  
borum in monte Sina et ca-  
ptivitate Theoduli filii. Ex-  
stant Gr. Lat. cum versione  
et notis PETRI POSSINI  
Paris. 1639. 1657. et 1658.  
4. Codicem saeculi XI.  
membranaceum adducit Bi-  
bliotheca Coisliniana p. 306.

paratis et temporis, quo Nilus et Theodulus, Coele-syriae presbyter, rebus humanis crepti fuere, ratio-ne habita, hunc et illo patre vti potuisse, et, ni fal-limur, vsum fuisse, valde videtur probable.

## III

A Theodulo presbytero diuersi sunt THEODVLVS<sup>a</sup> Διονυσος et THEODVLVS Κιωνίτης, quo-rum prior saeculo post Christum natum quarto, posterior autem nono floruit. Quae vitae horum virorum ratio, quae res ab iis gestae fuerint, latet. Nil enim nisi hoc de iis legere memini, quod IOAN-NES CHRYSOSTOMVS ad Theodulum Διονυσον litteras dederit <sup>b</sup>, et Theodulo Κιωνίτη, qui in persecutione periit <sup>c</sup>, cum Theodoro Studite fue-rit litterarum commercium <sup>d</sup>.

## V

Probe a Theodulisi, modo recensitis, distinguen-dus est THOMAS Magister, seu THEODVLVS Grammaticus graecus, ac orator, patria Thessalo-nicensis, circa initium saeculi XIV. clarus <sup>e</sup>. Im-perante

g) Biblioth. Coisl. p. 566.

h) Bibliothec. magna pa-trum T. II. p. 647. Iam abiit et frater Theodulus at-que hic e primis et obediens-tia spectatus et in confessione consfans, flagris ob Chri-stum ac carcere multatus, vi-taque in persecutione defunctus, quo quid illustrius?

i) Eadem p. 312.

k) Sunt, qui eum falso ad Saeculum X. referant, in primis CAROLVS DV-FRESNE Glossar. med. et insim. Graecit. in indic. auct. p. 63. Lugd. 1688. fol. vide OVDI NVM I.c. T. III. p. 722. sq.

perante Andronico Palaeologo seniore munere Magistri officiorum et Chartophylacis Constantinopoli perfunctus est, deinde autem, coactus, ut videtur, hanc viuendi rationem cum vita monastica permutans, munieribus sese abdicasse, et Theoduli nomen adsumisse videtur<sup>1</sup>. Plura eius ingenii monumenta exstant, e quibus vitae Euripidis<sup>m</sup>, Pindari<sup>n</sup>, ac Aristophanis<sup>o</sup>, scholia in aliquot odas Pindari, quae manu scripta in splendida bibliotheca vindobonensi atque in bibliotheca senatus augustani iacent recondita<sup>p</sup>, collectio dictionum atticarum<sup>q</sup>,

enco-

1) Alii primum Theodulum, et postea Thomam Magistrum appellatum suis-  
se, minus recte contendunt; praesertim autem L A V R.  
N O R M A N N V S in praef.  
ad laudationem Gregorii Na-  
zianzeni, Thoma Magistro  
auctore; cf. O V D I N V M  
I. c. T. III. p. 723.

m) Synopsis vitae Euripi-  
dis, graece, cum Euripi-  
de Hervagii Basili. 1537. 8.  
Iterum eadem graece et la-  
tine cum Euripide B A R-  
N E S I I prodiit Cantabrig.  
1694. fol.

n) Pindari genus, seu vi-  
ta Thoma Magistro auctore,  
graece, cum Pindaro apud  
Aldum 1513. 8. Rom. 1515.  
4. per Zach. Calliergum:

apud P. Stephanum 1599. 4.  
et Oxon. 1697. fol.

o) Vita Aristophanis c.  
Aristophane Florent. 1525.  
4. Amstel. 1710. fol.

p) IOECHERI Gelehrten-  
Lexicon T. IV. p. 1115. REI-  
SERI index MSS. bibl. Au-  
gustani. p. 78.

q) Lucem adspexerunt  
graece, Romae apud Zach.  
Calliergum 1517. 8. Cum  
Dictionario graeco - latino  
Venetiis in aedibus Aldi et  
Andr. Asulanii socii 1524.  
fol. apud Mich. Vascofa-  
num Parif. 1532. 8. Dein-  
de post BLANCARDI et  
LAMB. BOSI curas cum do-  
ctissimorum virorum anim-  
aduersioribus a IOANN.  
STEPH. BERNARDO

Lugd.

encomium in Ioannem *Baptistam*<sup>r</sup>, eiusdemque Grammatica<sup>f</sup>, digna omnino videntur esse, quae hoc loco recenseantur. Nec silentio praeterire licet illius Λογος εἰς Γενησαρεῖον τον Θεολογον, quem LAURENTIUS NORMANNVS cum IV. orationibus gratulatoriis<sup>t</sup>, atque VIII. epistolis edidit<sup>u</sup> simulque in praefatione vitae eius summam complexus est<sup>x</sup>.

## VI

Venio nunc ad Theodulum, auctorem eclogae, quem natione Italum fuisse, et Athenis ultimo vi-  
tae suae tempore ad episcopi dignitatem peruenisse,  
non sine ratione adfirmari potest<sup>v</sup>. Theodulus

autem,

Lugd. Bat. 1757. in lucem bibliotheca palatina, nunc  
publicam emissae sunt. Exstant in Codice Biblioth.  
Galliar. reg. n. 1853. MSS.  
r) OVDINVS l. c. T. III.

p. 722.

f) Habetur MS. Floren-  
tiae in bibliotheca monasterii B. Mariae et in codice  
regio Parisi. 1288. vide  
FABRICII B. G. Lib. V.  
cap. VII. p. 47.

t) Ab iis diuersae sunt  
Theoduli rhetoris μελέται,  
seu declamationes X, qua-  
rum est prima: Euphorionis pro Cynegiro filio; po-  
strema: legatio ad Andro-  
nicum Palaeologum, im-  
peratorem constantinopoli-  
tanum. Fuerunt olim in

u) Vpfalae c 1 o I o G  
LXXXIII. 4. addita est  
elegans Normannii inter-  
pretatio.

x) Copiose inter alios  
egit de Theodulo monacho  
OVDINVS in Commentar. de  
Scriptt. eccles. T. III. p. 722.  
sqq.

y) HONORIVS Auguſto-  
dun. de S. E. Lib. III. cap.  
13. Theodulus natione Ita-  
lus, scripsit eam eclogam, —  
in qua veritatem fideli adstru-  
xit, perfidiae falsitatem de-  
struxit.

autem, ea qua pars est industria linguis graeca pariter atque latina instructus, quum Athenis ad litterarum studia incumberet, audiuit gentiles, cum christianis altercantes, quorum colligens rationes reuersus contulit in allegoricam eclogam, introducens duas personas altercantes, et tertiam, de duarum dictis diiudicantem. Primam vocans Pseustin, a falsitate dictam, humana et fabulosa proponentem; secundam Alithiam, diuina et vera opponentem; tertiam Phronesin, a prudentia dictam, per quam dubia examinantur <sup>a</sup>. Quae quidem omnia iis corroborantur, quae de auctore nostro vetus commentator in medium attulit <sup>a</sup>: *cauffa*, inquit, *huius libri* *suit quidam nomine Theodulus*, qui *primo studuit in Italia*, et *postea studuit in Graecia*, et *ibidem effectus est episcopus*, qui *vidit diuersas disputationes Saracenorum et Christianorum*. *Ad quorum similitudinem volens librum suum compilare*, *introduxit et alithiam*, *id est, veritatem, et falsitatem sub forma pastorum disputantium*. En eclogae conserbendae occasionem, et illius auctorem! Diversa autem nostro imposita fuere nomina. Non solum enim in antiquis scriptoribus atque codicibus *Theodulus*, seu *Theodulus*, verum etiam *Theodorus* <sup>b</sup> vocatur.

<sup>a)</sup> SIGEBERTVS Gembla- niensem c. 1000 LXXXVIII  
cen. de Scriptt. eccl. cap. impressam, circa initium.  
134. b) Sic eum nuncupat glof-

a). Vide editionem colo- fa codicis helmsiadensis.

vocatur. Sed omnes tres esse eosdem, facili negotio inde potest intelligi, quoniam Theodori saepius a nonnullis adpellantur, qui aliis rectius sunt Theoduli, vel Theodoti, vel Theodosii, vel Diodori. Sic enim Theodotus *Ancyranus* Gennadio, Honio et Possevino Theodorus est, adeo ut Theodorum Honorii non alium, quam Theodulum presbyterum esse, et hinc Theodulos cum Theodoris saepius permutatos fuisse, dubitari haud possit <sup>c</sup>, in primis si quis ea, quae supra hac de re diximus, a veritate non abhorrere, sibi persuadere velit.

## VII

Fuere, qui, Theodulum auctorem eclogae esse, negarent, eamque ex ea ratione Ioanni Chrysostomo adscriberent, quod in codice quodam MSta Ioannes Chrysostomus hoc opus composuisse legatur, qui, ut arrogantiam vitaret, adsumto Theoduli nomine, opus euulgauerit <sup>d</sup>. Eadem plane leguntur in commentario, veteri editioni adiecto, vbi haec fese obiiciunt oculis: *caussa efficiens est pene ignota, dicunt tamen aliqui, quod Theodolus ipsum composuit. Alii dicunt, quod Ioannes Chrysostomus, doctor*

<sup>c)</sup> FABRICII B. G. Vol. appar. litter. T. I. p. 493. VIII. p. 250.

In codice Guelferbytano, quo usus sum, infra descri-

<sup>d)</sup> SANDERI Bibliothe. belg. lat. MSta I. p. 139. bendo, hanc inscriptionem, a docta manu additam, in FABRICII Bibliothe. lat. Vol. VI. p. 653. FREYTAG in ueni: *incipit ecloga S. Iobani nis*, i. e. Chrysostomi.

doctor Theologus eminentis scientiae. Alii dicunt aliter. Sed super hoc non est curandum multum. Hoc vero qui statuunt, vehementer errare, inde a quoque cognosci posse arbitror, quod hexametricis rhythmicis, seu versibus leoninis conscripta ecloga sit. Quod versuum componendorum genus quum nondum saeculo IV. quo Chrysostomus vitam degebat, sed medio demum aevo vsu venerit <sup>e</sup>, quis quaeſo est, qui huius coniecluræ falsitatem non perspiciat? Quae si vera sunt, sententia eorum valde videtur probabilis, qui Theodulum, saeculi decimi scriptoribus adnumerandum, circa annum ICCCCCLXXX floruisse, contendunt <sup>f</sup>. Etsi enim non defuerunt, qui eum ad saeculum VI. referrent <sup>g</sup>;

non

<sup>e)</sup> SCALIGER Poet. Lib. II. p. 73. edition. rarissimae c. 1561. fol. Errat CIAMPINVS in vet. monument. in quibus opera sua P. I. p. 29. ex huiusmodi carminum textura tempus argui posse negans. Aliud enim est, passim versum leoninum inserere, quales priscis interdum excidebant, aliud carmina versibus leoninis conscribere, quod non nisi saeculo nono decimo factum fuisse, certissimum est.

<sup>f)</sup> SIGEBERTVS Gembala-

censis inter scriptores noni decimique saeculi numerat. Vide et FABRICIVM in B. L. Vol. VI. p. 653. LEYSERV M in Hisp. Poet. med. aev. p. 294. CAVE I. c. T. I. p. 456. eum incertae aetatis scriptorem adpellat, sed tamen ad annum ICCCCCLXXX refert, quem sequitur OVDINVS in Comment. de S. E. T. II. p. 480. conf. FREYTAG l. c. T. I. p. 499.

<sup>g)</sup> OLAVS BORRICHIVS Diff. 2. de Poet. lat. p. 81.

B

non dubito tamē, fore plerosque, qui ob rationem, supra adlatam, sententiam nostram amplectantur: in primis, si ea lubenti animo concedant, quae de distinctione, Theodulum presbyterum inter ac nostrum instituenda, supra non sine ratione, ut nobis quidem videtur, differuimus. Nisi enim omnia me fallunt, error de Theoduli nostri aetate, ad saeculum VI. reiecta, inde ortum traxit, quod Coelestiae presbyterum et auctorem eclogae eundem esse, falso sibi nonnulli persuaserint.

## VIII

Si glossatori credas, Theodus non est proprium nomen auctoris, sed nōmen nouiter inuentum et fictum secundum proprietatem rei et materiae, sicut in comoediis Dauis, quasi dans vana. Belle et acute et in primis doce! Evidem haud multum interesset fateor, vtrum Theodus nomen proprium auctoris sit, an vero minus, sed tamen, haec sine vlla addita ratione a glossatore dicuntur. Namque si vera sunt, quae somnianit glossator, quid obstat, quo minus reliquorum Theodolorum nomina, in praecedentibus adducta, ficta esse statuanus? qua quidem re nescio an vlla fingi, aut excogitari possit absurdior. Ne dicam, ne ex unico quidem scriptore euinci posse id, quod lectoribus obtrudere conatur glossator.

## VIII

## VIII

De ceteris rebus *sub clericali norma* decedens  
Theodulus eclogam a mendis, quarum quasdam  
carpit *auctor anonymus Mellicensis*<sup>h</sup>, non purgauit <sup>i</sup>.  
Ac haec fere sunt omnia, quae de vita Theoduli  
ex antiquitatis monumentis eruere potui.

## X

Quod de opere *eclogarum* Theoduli in numero  
plurali tradiderunt quidam ex antiquioribus pariter  
ac recentioribus scriptores <sup>k</sup>, procul dubio falsum  
est. Honorius enim ac Sigebertus, de ecloga il-  
lius loquentes, eiusdem in singulari tantum numero  
mentioneni faciunt, id quod unicum argumentum  
fere instar omnium est. Neque etiam hoc vi sua  
probandi destituitur, quod in omnibus codicibus ac  
vetustis editionibus, quot quidem nos viderimus,  
non opus plurium *eclogarum*, sed tantum una *eclo-  
ga*, in tres partes distincta, habeatur. Quas qui-  
dem tres partes, si qui sunt, qui librum *eclogarum*  
adpellare velint, non habeo, quod moneam. Modo  
vereor, ut recte id faciant. Ceterum praeter hanc  
*eclogam* a Theodulo plura ingenii specimina in

B 2 luceim

- |  |                                |
|--|--------------------------------|
| h) De <i>Scriptt. eccles. cap.</i>                                   | k) TRITHEMIVS, Pos-            |
| 36.  | SEVINVS, SIXTVS <i>Senens.</i> |
| i) SIGEBERTVS <i>gemblac.</i>  | locis citt. HALLERVOR-         |
| 1. c. <i>cap. 134.</i> LEYSER 1. c. DIVS in <i>Biblioth. curios.</i> |                                |
| p. 298. OVDINVS 1. c. p. 385. OVDINVS 1. c.                          |                                |
| T. II. p. 480.   |                                |

lucem emissā fuisse, ambabus concedo manibus.  
Carmen enim de duello<sup>1</sup>, de quinque clauibus sapientiac<sup>m</sup>, de contemptu mundi libros<sup>n</sup> conscriptisſe dicitur, quae vero omnia monimenta me numquam vidisse, ingenue fateor.

## XI

Imitatus est Theodulum IOANNES WICLEFVS, Anglus<sup>o</sup>. Scripsit enim Trialogum libris quatuor, cuius personae inter se colloquentes sunt falsitas, alithia et prudentia. Itaque, quin vetustiorem Theodulum imitatus fuerit, dubium esse potest omnino nullum.

## XII

Vſus est Theodulus in componendo carmine hexametricis rhythmicis, seu versibus leoninis, qui et aequiuoci vocantur<sup>p</sup>, voce sonoque in versus medio et fine concordantes. Vnde genus carminis leoninum nomen traxerit, disputatur. Sunt enim, qui a leone dictum velint, quasi excelsum ac inter ceteros versus primarium ac veluti regium<sup>q</sup>. Nec

desunt,

1) Prodiit Lugd. c I o I o fibus leonin. in Gebaueri LXXVIII. 8. vide Catal. Dissertatt. antholog. p. 347.  
Biblioth. Bodlejan. voc. Theodo- o) OVDINVS de Scriptt.  
dulus. eccles. commentar. T. II.

m) FRISII Bibliothec. p. 480.  
p. 778. p) SCALIGER Poetic.  
n) Lugduni c I o I o Lib. II. p. 73.  
XXXVIII. opera IOAN- q) ELIAS MAIOR de  
NS KAENERII. conf. RE- versibus leonin. in GEBAVE-  
NATVS MORAEVVS de ver- RI dissertt. anthol. p. 320.

desunt, qui eam ob caussam ita dici putent, quia leonis instar caudatum sit<sup>r</sup>. Has vero sententias parum se commendare, per se patet. Alii, leoninorum versuum originem a Saracenis eorumque ἐπυμόλογιαν e lingua arabica deducendam esse, putarunt<sup>f</sup>, cui quidem coniecturae ut quisquam subscriptabat, valde veretur HEVMANNVS<sup>t</sup>, cui a Leone, pontifice romano, versus leonini originem traxisse videntur, qui nono vixerit saeculo et partem aliquam Romae a suo nomine adpellatam voluerit, urbem leoninam. Superesse pergit versus aliquot hexametros, eosque ineptos, portae illius regionis inscriptos, hosque versus ab ipso Leone fuisse confectos: non carere igitur veri specie, ab Leone papa nomen versibus leoninis fuisse indicatum<sup>u</sup>. Alii in alia discedunt<sup>x</sup>. Reim qui acutus diligenter autumant, et quorum sententiam nos quoque amplectimur, a Leonio, seu Leonino quodam, S. Benedicti canonico parisiensi, ac monasterii S. Victoris religioso, imperantibus Ludouico VII. ac Philippo Augusto, regibus Galliae, circa annum CLIII. claro, adpellari, arbitrantur<sup>y</sup>. Ita

B 3

vero

- |  |  |
|--|--|
| <sup>r</sup> ) SCALIGER I. c.  | <sup>u</sup> ) Id. p. 236.                                       |
| f) DVMONTIVS; vide KRAVSII Nov. litter. Lips: an. c1510CCXX. p. 122. | x) Memoires de Trevoux T. IV. p. 625. edit. de an. c1610CC XXXX. |
| <sup>t</sup> ) Conspett. histoyr. litter. p. 235. edit. 4tae.        | y) Huetiana LXXVIII. p. 192. de l'origine de la rime.            |

vero qui sentiunt, Leoninum non auctorem quidem<sup>z</sup>, sed tamen insignem artificem fuisse statuunt<sup>a</sup>.

## XIII

Apud veteres, e. g. apud Ouidium, Virgilium, Propertium et alios passim iamiam exempla versuum ὄμοιστελευτῶν et ὄμοισπτωτῶν occurrere, non nisi rei litterariae rudes fugere potest. Inprimis autem Plinius frequenter ὄμοιστελευτοῖς usus est, cuius quidem opera non sine multa venustate, ex mente MORAEI<sup>b</sup>, eiusmodi flosculis inspersa sunt. Labente deinde sermonis latini castitate, quum grauitas quoque atque maiestas caderent, horum temporum poetae simul variis ingenii lusibus, nec iis tantum, a veteribus iam usurpati nonnunquam, sed undecimque etiam conquisitis, delectari, eorumque ad taedium usque frequentiori usu aures titillare incipiebant. Accidit tum, ut in primis Afri et scriptores ecclesiastici, ingenium et characterem veterum hac in causa arripientes, spissius miscendo

ὄμοισπτωτος

rimae. CIAMPINI monument. *Mascurat* p. 332. et *SIXTUS Senensis*. in B. S. *Lib. III.* p. 182. edit. I. O. HAYI CIOLOCX. inuentorem Leoninum esse putantes. Iam enim ante Leonini tempora eiusmodi carmina scripta sunt, quae deinde a Leonino nomen acceperunt.

a) MORAEVUS l. c. apud GEBAEVERVM l. c. p. 344.  
b) l. c. p. 345.

*Diction. encyclop.* T. VIII. p. 390. sq. *Furetiere Diction. uniuers.* T. II. voc. *Leonin. MENAGE Diction. etymologique.* p. 441. *PASQUIER Recherches de la France Lib. VI. cap. 2.*

z) Errant NAVDAEVS in libro, qui vulgo dicitur

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt  
urn:nbn:de:gbv:3:1-750049-p0026-7

έμοιοπτωτος et veneres affectando, carerent venu-  
state. Quibus corruptae poeseos initis accesserunt  
circa saeculum nonum ac decimum versibus leoninis  
confecta carmina <sup>c</sup>, quae omnem quasi elegantiam,  
harmoniam ac simplicitatem artis poeticae tollere  
videbantur. Vix autem quisquam hoc tempore ele-  
gantis poetae nomen tueri poterat, nisi rhythmicos  
id genus versus effunderet <sup>d</sup>; et quod Augustaeo  
aenio in vitio erat, tunc laudi ducebatur maximae <sup>e</sup>.  
Iure vitiosum adpellat Scaliger hoc versuum genus,  
ut adeo recte MAIORI irascaris <sup>f</sup>, qui viro im-  
mortali propter ea iniqui imponit titulum. Etsi  
enim, quam vbi ea declinare erat facillimum, in-  
dulserint sibi veteres έμοιοπτωτα, in hoc genere  
versuum notam villam quemquam mereri negat  
MAIOR, nisi apud eos, quibus parum commodo  
tempore ac loco, ac per affectionem aliquam at-  
que ostentationem frequententur; nullatenus omni-  
no temporis ac loci habita ratione, vellem, ut ars  
poetica carmina leonina ignoraret. Perperam enim  
semiprisci ac recentiores exemplis veterum excusan-  
tur. Non solam enim in bonae notae poetis rarius  
occurunt έμοιοπτωτα, verum etiam in id ante

B 4

omnia

- c) FABRICII B. L. Lib. II. cap. X. p. 538. LEYSE-  
RVS I. c. ex saec. IX. addu-  
cit exempla. d) SCALIGER l. c. L. II.  
P. 73. e) HEVMANNVS I. c.  
P. 234. f) I. c. p. 333.

omnia inquiri posse videtur, vtrum veteres ea consilio fecerint, an, vt nonnulli recte obseruarunt, iis imprudentibus tales versus exciderint <sup>g</sup>. Fac autem, consilio versus rhythmicos ab iis fuisse consignatos, fac a quibusdam in iis inueniri nescio quid pulchri, quid venusti, admodum raro tamen leguntur, et sponte sua fluere, non ex affectatione putidula manare videntur. Quae quum ita sint, ex uno alteroue versuum leoninorum in veteribus exemplo integrorum carminum sic condendorum licentia male defenditur, et in iis laudandis longum esse, aequum esset, ac a vera poeseos indole aberrare longissime.

## XIII

Ex numero eorum, qui primum carmina leonina confecerunt, est Theodulus, auctor eclogae; certe omnes, quorum huius generis carmina superfunt, e. g. Rainerius *Alemannus*<sup>h</sup>, Bernar-

dus,

g) *Poetic. Giffensi. Lib. II.* p. 172. *Giff. clo IoC VII.* *moribus, in mensa requiritis,* dictus, primum cum commento inter VIII. auctores *FABRICIVS* in *B. L. Lib. II. cap. X.* p. 538. adpellat hoc versuum genus antiquis haud probatum. v. *Diction. encyclop.* T. VIII. p. 390.

h) *Quis fuerit, non sat is liquet. Eius tractatus Iconinis versibus composi-* tus et *Fayfacetus*, seu de *monatliebe Unterredung.* dictus, primum cum commen-

*tamento inter VIII. auctores Faceti* Lugduni per *Iohannem de Prato* clo CCC C LXXXVIII. (nov. misc. Lips. T. VI. p. 127.) *Fay-* *facetus* dicitur in *SELLERI Catal. biblioth. Paullin. Lipj.* p. 389. *vtrum alias eiusdem tract.*

dus<sup>i</sup>, Willeramus<sup>k</sup>, Gualterus *Dissaeus*<sup>l</sup>, Ray-  
mundus,  
B 5

tract. dictus *Pampillus de amore*, qui manu scriptus est in bibliotheca monasterii dunensis in Flandria (S A N D E R I *biblioth. belg.* MSS. p. 204) itidem versibus leoninis scriptus sit, ignoro. cf. FABRICI B. L. *Lib. XVII.* p. 125.

i) Scriptor *Floreti*, siue carminis moralis, quod prima vice lucem adspexit cum VIII. auctoribus moralibus, de quorum editione nota praecedenti verba feci. Est autem *Floretus* summa Theologiae Bernardi, quam Ioannes Gerson, virtute cordata atque eruditione memorabilis vir, commentario, cuius fortasse mentionem facit ECKHARDVS (MSS. Quedlinb. p. 35.) illustravit. Auctorem e Bernardo exqerpsisse flores, eosque versibus complexum, et inde nomen habere *Floreti*, VOSSIUS suspicatur p. 73. de poet. lat. Euolue FABRICI B. L. *Lib. II.* p. 624. Impressus est Bernardus Lugd. c15 CCC LXXXVIII. 4. Colon. c15 I2 III. 4. apud Henr. Quentell. et Colon. c15XX. 4.

k) Abbas non Eberspergensis, sed Mersburgensis monasterii in Suevia, Parisii operam dedit bonis litteris, claruit anno c15 LXX. Scriptis *paraphrasin geminam* in *Canticum canticorum*, quarum prior metrica versibus leoninis latinis confecta est, posterior prosaica, lingua veteri theotisca. Nouissimo tempore prodit in *thesauro antiquitatum germanicarum* SCHILTERI T. I. Auctores qui de Willeramo eiusque paraphrasi egerunt, vide apud FABRICIVM in B. L. *Lib. XXI.* p. 904.

l) Disso, Sudfoliae opido, oriundus, Anglus, Carmelita, vita defunctus circa annum c15 CCCC III. Scriptis c15 CCC LXXX teſte LELANDO de *Scriptt. brit. cap. 450*, versibus leoninis librum de *ſchismate ecclieſae*. Vide RENATVM MORAEVM de *vers. leon.* apud GEBAVERVUM in *differt. antbol.* p. 347. FABRICII B. L. *Lib. VII.* p. 332.

mundus<sup>m</sup>, Gothofredus *Viterbiensis*<sup>n</sup>, Alexander de *Villa dei*<sup>o</sup>, Robertus Bastonius<sup>p</sup> et alii, sunt maxima

*m) De Ponte*, primum fuit auditor Rotae romanae et Marchiae Anconitanae gubernator, deinde regis Aragoniae cancellarius et ab anno c*10* CC LXXXVIII. episcopus Valentinus. Interfuit concilio Viennensi c*10* CCC XII. et obiit in vrbe Tarraconensi c*10* CCC XIII. quum synodus prouincialis ibi haberetur. Vtrum Raymundi *de Ponte* liber de *sacramentis*, cum carmine Raymundi Leonino, quo VII. sacramenta ecclesiastica complexus est, idem sit, an vero minus, me fugit. Vid. ANTONII *Bibl. Hisp. vet.* Lib. VIII. cap. 2. n. 63. 64. ECHARDI et QVETIFI *de Scriptt. ordin. praedicator.* T. I. p. 519. sq. FABRICII B. L. *Lib. XVII.* p. 116. sq.

*n) Notarius regis Conradi III. et Friderici I. imperatoris Pantheon*, sive vniuersitatis libros chronicos XX. omnes omnium saeculorum et gentium historias complectentes, versu leopiniano condidit. Exstat locupletissime in PISTORII, *Scriptt. R. G. T. II. edition.* nouissim. STRVII. vide et MORAEVUM I. c. p. 348.

*o) Situ Villadeus*, patria Dolenis, Grammaticus et poeta clarus, cum Ysone et Rodolfo Anglo docuit Parisis et circa annum c*10* CC VIII. scripsit aude receptum illa aetate in schoulis doctrinali puerorum, sive Grammaticam latinam, excerptam Priscianum et versibus leoninis comprehensam, ut facile esset, totam mandare memoriae. Vitam Alexandri, editiones *Doctrinalis* et commenta enarrant LEYSERVS I. c. p. 767. FABRICIVS in B. L. *Lib. I.* p. 177. 178. Codicem *doctrinalis* MS. cum adnotationibus Iodoci Badii Ascensi et Io. Sinthenii recenset ECKHARDVS in MSS. Quedlinb. p. 45.

*p) Nobilis Britannus, Scarburghensis Carmelitarum coenobii alumnus, rhetor et poeta laureatus sub vtroque Eduardo, Anglorum regibus, clarus. Scriptit de guerris Scotiae rythmico. Existant quoque eius versus rythmico contra Artistas. Scriptores de eo recenset OVDINVS de *Scriptt. eccles.* T. III. p. 709.*

maxima ex parte Theodulo recentiores. Dantur plura versuum leoninorum genera, quae vero exponere superfluum esset, quum id ante me a viris doctissimis, Elia Maiore et Renato Moraoe factum sit <sup>q</sup>, qui in iis perscrutandis, quae ad versus leoninos pertinent, singularem quamdam adhibuerunt operam <sup>r</sup>. Ne igitur viros supra laudatos exscribere videar, ablego lectores ad eorum scripta doctissima, in quibus quoque copiose ὄμοιστελεύτα, in priscis obuia, aliaque ad hoc argumentum spectantia, collecta reperient.

## XV

Hicce praemissis, paucis nunc de codicibus, editionibus Theoduli, in eumque commentariis agam necesse est. Tribus potissimum in edenda Theoduli ecloga codicibus manu scriptis usus sum, Guelferbytano, Helmstadiensi et Mulleriano. Atque hoc loco laudibus efferre decet illustrissimum Comitem A GOERZ, Maeccenatem optimum, integrerrimum ac de patria paeclarissime meritum virum, qui singulari erga me gratia atque humanitate suam in eo posuit operam, ut codicem Guelferbytanum acciperem. Neque etiam filere licet laudes LESSINGII, serenissimi ducis Brunsuicensis a Bibliotheca,

<sup>q)</sup> In dissertationibus de <sup>r)</sup> conferatur MORHO-  
versibus leoninis, in GE- FRII Unterricht der Teut-  
BAVERI dissertt. antholog. schen Sprache und Poesie,  
reculis. P. III. cap. 9.

bliotheca, viri cōleberrimi, qui indicem criticum  
 trium Theoduli editionum, quae in praestantissima  
 bibliotheca Guelferbytana inueniuntur, pro suo in  
 Musas amore, mecum comunicauit. Est autem  
 codex membranaceus, et saeculo XI. vt Lessingio  
 videtur, nitidissime conscriptus. In volumine, di-  
 uersos medii aeui poetas continente, forma quarta,  
 exstat Theodulus, XV. folia complens et textum,  
 glossis et commentario liberum, exhibens. Poema  
 Theoduli hic neque ecloga vocatur, nec tetraсти-  
 chium; inscribitur autem *incipit Theodulus*. Quoad  
 formam externam littera initialis E. rubro ac viridi  
 coloribus distinguitur, singuli versus litteris initiali-  
 bus maiusculis signati sunt, littera initialis cuiusli-  
 bet tetraстиchI autem charactere maiori rubro con-  
 spicua est. Recentioris aeui manus adiecit glossas  
 interlineares, quae quoque codicem ad alia emen-  
 datoria exempla recensuisse et rectiorem lectionem  
 ad marginem adscripsisse videtur. Quod autem  
 huncce codicem aliis putem esse anteponendum, in  
 causa potissimum haec sunt, quoniam et aliae alio-  
 rum codicum bonae notae lectiones isto confirman-  
 tur, et praeterea plurimae ac vnicae quidem, sine  
 dubio verae lectiones, ei insunt, quibus ecloga  
 multis locis facilior redditur atque politior. Acce-  
 dit venerabilis illius antiquitas, accedunt denique  
 octo versus, in fine additi, qui in omnibus aliis  
 codicibus

codicibus pariter ac editionibus haudquaquam leguntur. Praeter hunc modo a me descriptum codicem duo alii in eadem bibliotheca habentur, qui tantum abest, ut illo sint praefantiores, ut ex mente potius Lessingii recentiores esse, et bonitate cum illo ne comparari quidem posse videantur. Ac recte quidem iudicasse Lessingium ex Marquardi Gudii bibliothecae catalogo, et quidem ex ducalis bibliocae Vinariensis exemplo, facili negotio potest intelligi. Ibi enim de Theoduli ecloga haec litteris consignata leguntur: *ecloga sacra CCC LI. versuum hexametrorum. Codex est membranaceus. Inscrip-  
tio poematis illud tribuit S. Iohanni. Certant au-  
tem in alterno carmine Pseustis et Alithia, illa pa-  
ganam theologiam ornat, haec christianam. Est  
autem haec ecloga Theoduli presbyteri, natione Itali,  
a monachis quibusdam plane perperam S. Iohanni  
Chrysostomo adscripta.* Ad quae quidem verba ma-  
nus SCHVRZFLEISCHII, qui quam grauis hac  
in causa testis sit, nemo ignorat, adiecit: *codex  
est integer sed recentior f.* Id quod alia docta ma-  
nus confirmat, quae ad eumdem locum catalogi  
Codd. MSS. Gudii, separatim forma octaua im-  
pressi t, ad marginem scripsit: *Ist ganz vnd aus  
dem XV. Saeculo. Codicem Theoduli Gudianum*

autem

f) Cat. Bibl. M. Gudii p. t) Prodiit Hamb. eodem  
548. Hamb. cI9CCVI. 4. anno.

autein eum alterutro Guelferbytano esse eumdem, non nisi iis mirabile videri potest, qui, MSS. Gudii in bibliothecam Guelferbytanam transportata fuisse, ignorant. Horum enim emendorum caussa et si Schurzfleischius a serenissimo duce Vinariensi GU  
LIELMO ERNESTO Hamburgum missus fuerat; is tamen, quum ipsum inter et Gudii filium, qui conditiones aequissimas, ab aliis postea non propositas, repudiauerat, de emitione non conueniret, re infecta redire coactus, e bibliotheca Gudiana magnam saltem librorum, typis exscriptorum, eorumque praefantissimorum copiam in Vinariensem intulit.

## XVI

Codicem Helmstadiensem, non vidi, sed tam ad usus meos verti. Variantes enim illius lectiones Leyseri historiae poetarum medii aevi <sup>u</sup> inueni insertas, descriptionem autem codicis viro doctissimo ac de re litteraria bene merito SCHIRACHIO, Professori Helmstadiensi, refero acceptam. Verum enim vero est chartaceus, forma maxima, atque ut ex inscriptione ad fine in tituli patet, in monasterio S. Georgii prope Goslariam, Hildesiensis dioeceseos, saeculo ineunte XV. descriptus. Continet ille codex plurima alia scripta,

maximam  
<sup>u</sup>) p. 298.

maximam partem ab otioso cœullatorum grege profecta, praeterea versionem latinam fabularum Aesopi, quam in medio fere codicis excipit ecloga Theoduli, ultra sexaginta paginas implens. Textus ipse scriptus adparet litteris parum luculentis et scribendi compendiis obscurus plurimis locis redditus. Incipit ita: *in principio huius libri sunt principaliter quaedam inquirenda primo quæ materia, secundo quæ forma, tertio quis finis, quarto quis auctor, quinto quæ utilitas.* De auctore nil nisi hoc legitur: *caussa efficiens est Theodulus, quod interpretatur seruus dei, a theor, quod est deus, et dulus, seruus; vel Theodorus, qui interpretatur, vir videns deum.* Plura non adduntur, sed statim differitur de utilitate libri. Textui ipsi glossae breuissimæ interlineares subiunctæ sunt, sed nullius fere pretii; verba quippe aliis verbis explicantur, sed plerunque sinistre. Versibus duobus, aut quatuor singulis per omne carmen subiecta est explicatio vberior, at vero et ipsa exillis iudicia, neque criticae utilitatis. Maxima pars versatur in refutandis miraculis gentilium, et probanda veritate miraculorum V. T. quorum laudes canit in textu Theodulus. Referta sunt omnia sententiis monachalibus, sive ex opinione illius temporis sacris. Finem commentarii, qui monachum auctorem arguit, constituit votum pium,

vt

vt ad veritatem nos ducat Christus. Sub fine illius leguntur vltimi hi versus:

Qua Pseustin vicit ratione poeta retexit  
Virgo. quod dicit is namque Theodulus exit.

## XVII

Codex Mullerianus, inscriptionem: *Theodulus cum commento*, a recentiori manu adiectam, praeferens, itidem est chartaceus, forma quarta, atque, ut omnes rationes ostendunt, saeculo XV. scriptus. Sic enim in fine legitur: *Explicit Theodulus cum commento. Anno domini LVIII. ipsa die Sancti Gregorii.* Indicari vero numero minori saeculum XV, sine multo labore ex litterarum ductu, qui ea tempora manifesto prodit, cognosci posse arbitror. Folia XXXI. compleat ecloga, sed innumera compendiorum scribendi copia haud parum deformata ac lectu difficilis. Initium codicis fere hoc est: *Eclogarum tres sunt species, quae consistit in duris, vel amaris reprehenzionibus, et huiusmodi ecloga vsus est Horatius in sermonibus suis.* Ratione habita commentarii, quatuor plerumque singulis versibus textui subiuncti, dubium est, siue genus scribendi, siue res ipsae spectentur, vtrum felicior fuerit istius parens, quod in obscuro latere ad hunc diem ei contigit, an futurus fuisset, si notum se fecisset posteritati. De auctore, qui Theodulus,

siue

sive Theodorus a commentatore nuncupatur, haec memoriae prodita sunt: *Autor primo in Italia fuisse dux, deinde in Grecia apud Athenas, et ibidem episcopus factus est, ubi audiuit multas disputationes gentilium et christianorum, ad quorum similitudinem volens librum suum componere introducit pseustin et alathiam i. e. veritatem et falsitatem, more pastorum inuicem litigantium, qui mos est pastorum, ut sepius et facilius litigent, quam ceteri homines.* Sub finem commentarii legitur versus:

Ponitur hic finis perfecto carmine litis.

Quod attinet ad conditionem Manuscripti, vitiis scribendi abundat, partim ab ignorantia librarium, quae hisce temporibus tanta erat, quanta quum summa est, esse solet, partim a codice prauo, quo vtebatur librarius, ortis. Nonnullas tamen lectiones exhibit, quibus aliorum codicum atque editionum lectionibus permagnum accedit pondus. Quoties in hocce libello de codice Mulleriano loquar, toties a me littera M. designabitur.

### XVIII

Praeter codices memoratos notari debent membranaceus, quem possidebat IO. ALB. FABRICIUS, inscriptus: tetrastichium Theoduli<sup>x</sup>; alias, cuius

<sup>x)</sup> Vide illius notas ad Lib. V. cap. 45. p. 546. TRITHEMIVM de S. E. itemque LEYSERVS I. C. cap. 185. Hamb. clo loCC p. 294.

XVIII. cf. Ej. B. G. Vol. X.

C

cuius SANDERVs mentionem facit <sup>y</sup>, et tertius denique, qui cum Commentario Bernardi in bibliotheca regia Parisiensi exstat <sup>z</sup>. Eam vero ob causam in quibusdam codicibus ecloga vocatur tetraстиchum, quia singula carmina quatuor versibus comprehenduntur <sup>a</sup>. De argumento eclogae Theoduli non est, quod copiosius loquar. Iterum enim atque iterum de eo differendi mihi fuit occasio. Ad stylum vero poeticum et dicendi genus quod attinet, pro ratione temporum in quae Theoduli actas incidit, sermo per omne fere carmen est horridus ac parum elegans. Nihilo vero tamen minus auctor ingenii poetici passim dedit documenta et olim, in primis eo tempore, quo studia humanitatis ac bonaе litterae renasci incipiebant, a viris doctissimis lectus ac relectus atque saepissime impressus fuit. Itaque alienum ab hoc loco haud putauit, omnes, quotquot mihi innotuerunt, Theoduli editiones commemorare, ita tamen, ut de iis, quae in conspectum meum venerunt, paullo exponerem copiosius, neque etiam commentarios in Theodulum silentio praetermitterem.

XVIII

<sup>y</sup>) Bibl. MSS. belgic.

<sup>a</sup>) FABRICII E. L. Vol.

<sup>z</sup>) Histoire litter. de VI. p. 653,  
France T. VIII. p. 678. sqq.

## XVIII

Nominat bibliothecae Petauianae catalogus <sup>b</sup> pri-  
mam quod sciam, et si raritatis ratio habeatur,  
prae ceteris omnibus commendandam Theoduli  
editionem, clo CCCC LXXXI. forma quarta iuris  
publici faciam. Deinde Theodulus cum octo au-  
ctoribus moralibus, sic dictis, in vulgus editus est.  
Inscribitur autem liber ita: Auctoris cum glossa,  
octo libros subscriptos continentes, videlicet Catho-  
nis *Theodoli*, Faceti, Cartulae, alias de contem-  
ptu mundi, Thobiadis, parabolaram Alani, Fabu-  
larum Esopi, Floreti. Impressi Lugduni clo CCCC  
LXXXVIII. die ultima Decembbris. Est hic liber,  
ut omnes Theoduli editiones, in rarissimis ha-  
bendus. Aliam illius editionem anni sequentis  
clo CCCC LXXXVIII. adducit ex IOANNIS DE  
LA CAILLE *historia impressionis* <sup>c</sup>, MAITTAI-  
RIVS <sup>d</sup>, ita inscriptam: Auctores cum glossa, octo  
libros subscriptos continentes videlicet Catonis,  
Theodoti etc. per Iohannem Dupré (qui cum  
Ioanne de Prato idem esse videtur) Lugduni  
M CCCC LXXXVIII. 4. <sup>e</sup>

Sequitur Ecloga Theoduli. Impressa Liptkz  
per Conradum Kachelouen anno salutis M CCCC

C 2 LXXXVIII.

<sup>b)</sup> p. 285.

<sup>d)</sup> *Annal. typograph. T. I.*

p. 507.

<sup>c)</sup> *Histoire de l'imprime-  
rie p. 41.*

<sup>e)</sup> *Nova Miscellanea Lip-  
sienia T. VI. p. 127.*

LXXXVIII. 4. <sup>f</sup> Exhibit haec editio solum Theodulum, non cum ceteris scriptoribus, quos habet Lugdunensis de anno c<sup>lo</sup> CCCC LXXXVIII. coniunctum, eundemque nouo auctoris haud nominati commentario oneratum. Inter vetusta Lipsiae monumenta typographica non est facile aliud, cui, si raritatem species, ex mente MENKENII <sup>g</sup> plus sit pretii, quam huic ipsi tribuendum, quippe nostra aetate tam raro obuium, ut MAITTAIRI et LEICHII <sup>h</sup> notitiam effugerit. Exstat haec editio, scribente LESSINGIO, in bibliotheca Guelferbytana, et olim eam possedit PETRVS BVRMANNVS <sup>i</sup>, cuius quidem bibliotheca fuit post mortem diuendita. Fuit autem typographus Kachelouen inter primos, qui artem hanc in urbem Lipsiam inuexit. Anno enim c<sup>lo</sup> CCCC LXXX Widmanni librum de doctrina numerorum officina sua emisit, quo quidem libro omnium, quos Lipsia excudit, non facile est ullus antiquior. Errat Burmannus, dum, sine verbis nomine hanc Theoduli editionem publicae luci expositam fuisse, scribit. Quid quæsto enim vocabulum Liptkz, sub fine libri expressis characteribus notatum, aliud, quam nomen verbis, significet?

<sup>f)</sup> Biblioth. Menken. T. I. in annal. typograph. Lips. p. 399. ab eius origine ad an.

<sup>g)</sup> Nov. Mis. Lips. T. c<sup>lo</sup> IO XVII.

VII. p. 711.

<sup>h)</sup> De origine et incrementis typograph. Lips. it. p. 26. <sup>i)</sup> Eivs Traiect. erudit.

significet? *Externus libri nitor*, inquit MENKEN-  
NIUS<sup>k</sup>, *cis per se spectetur mediocris*, tamen pro-  
actate illa tolerabilis videri posset, nec ita hic, vt  
in plurimis illius saeculi operibus, characterum ele-  
gantiam desideres. Exornata est haec editio figura,  
a qualicunque artifice in lignum incisa, in qua  
imago urbis, et pascentes gregem sumum Pseustis,  
Alithia et Phronesis conspicuntur. Praecipuarum  
rerum index, qui hic *regissrum* vocatur, secun-  
dum alphabeti ordinem confectus, accessit, bre-  
uior quidem, nec nisi summa complectens. Cu-  
ius vero indicis si formam spectes, prorsus talis  
videtur esse, quales hoc in primis tempore libris  
nouis maxime Germanorum accedere solent. At-  
que hoc nomine hunc librum in rarioribus haben-  
dum esse, concedendum est hoc magis, quo pau-  
ciores illius aetatis tali rerum potiorum indice in-  
structos libros licet ostendere<sup>l</sup>. Editio Kachel-  
ouenii, post tres annos secunda vice LXII. foliis  
satis nitide excusa, hanc inscriptionem litteris ma-  
iusculis praefert: *Egloga Theoduli*. Figura ligno  
insculpta eadem est, quae in editione de anno  
clo CCCC LXXXVIII. exhibetur, nisi quod hic  
coloribus illuminata videatur. Additus itidem est  
rerum praecipuarum index, adposito folii, quo ex-  
stant, numero; at vero sub finem legitur: *et sic*

C<sub>3</sub> explicit

k) *Nov. Misc. Lips.* T. VII. p. 712. 1) *Eadem* l. c.

explicit liber Theodoli de quo fine sit benedicta glorioса trinitas per secula seculorum Amen. Eglogue Theoduli finis impresso Liptkz per Conradum Kachelouen. Anno salutis M CCCC LXXXII. Accepi hanc editionem admodum raram, qua Maittairius non ullam nouit antiquorem <sup>m</sup>, ex speciali benevolentia viri praecellentissimi ac doctissimi NEVHVSIS, Architecti ac Senatoris lipsiensis meritissimi et bibliothecae senatus lipsiensis praefestissimae praefecti, qua quidem in re et vir clarissimus pariter ac doctissimus, THIEMIVS, a bibliothecae custodia, officia mihi, laude digna, praefestit. Semper haecce editio *ucr<sup>z</sup>z* Lipfensis a me vocabitur. De ea quidem MENKENIVS <sup>n</sup>: Leichius, inquit, aliam eclogae Theodulianae editionem Anno clo CCCC LXXXII. repetitam, Conrado huic tribuit, nisi quod facile crediderim, errore operarum factum sit, ut in annum clo CCCC LXXXII. sit reiecta, quae adsignanda fuisset anno clo CCCCLXXXVIII. editio. De quo ne dubitem, illud in primis facit, quod in loco, quo recentioris huius editionis mentionem facit, citatum a Leichio videam Burmannum, in cuius libro una anno clo CCCC LXXXVIII. editio, non illa altera memoratur. Quae vero omnia falsa esse, ex supra in

<sup>m)</sup> Annal. typograph. T. I. <sup>n)</sup> Nov. Mis<sup>c</sup>. Lips. T. p. 551. vide Cat. Frid. Bened. VII. p. 712.  
Carpzonii P. II. p. 118.

in medium adlatis luculenter adparet. Quoad fidem, huic editioni tribuendam, id probe tenendum est, quod collatis antiquioribus editionibus intellexi, inter lectiones, partim vehementer commendandas, partim haud spernendas, in omnibus negligentiae librariorum deprehendi vestigia, ac nullam omnino, singulatim sumtam, ita esse comparatam, ut verus ac tolerabilis eclogae sensus ex ea effici possit. Quam ob caussam haud unam modo alteraque in describendo textu Theoduliano sequutus sum, sed ex omnibus eas, quae mihi optimae videbantur, lectiones elegi, variantes autem in notulis adspersis addidi, quo et antiquioribus editionibus carere possent lectores, et, si mea lectio minus placeret, in eius locum aliam, quamcunque tandem vellent, substituerent.

Eodem anno clo CCCC LXXXII, *Egloga Theoduli* foliis LI. forma quarta Coloniae emissa est <sup>o</sup>. Sic enim in fine scriptum est: *Egloga Theoduli cum notabili commento feliciter finem habent. Impressa in sancta civitate Colonensi per Henricum Quentell. Anno incarnationis domini M CCCC XCII. tertio nonas Septembbris.* Index adiectus est, ut in lipsiensis, sed sine foliorum, quibus res praecipuae continentur, numero: qua quidem ex re colonensem ante

C 4 lipsiensem

<sup>o)</sup> MAITTAIRE l. c. T. I. p. 551. coll. Biblio  
Fr. p. 343.

lipsiensem impressam fuisse, haud obscure intelligi posse videtur. Initium commentarii hoc est: *Circa inictum huius libri sciendum; quod Auerrois circa prologum phisicorum dicit, quod quatuor sunt que impediunt humanam naturam. scilicet ignorantia taciturnitas, defectus et vicium, contra ignorantiam inuentum est quadratum videlicet quatuor artes liberales sicut musica, geometria, arithmeticā et astronomia, sed contra taciturnitatem inuentum est trium, id est tres artes liberales de eloquentia sermonis sicut Grammatica loqua rhetorica cetera.* De auctore dicitur: *Causa officiens huius libri fuit quidam nomine Theodolus, qui primo studuit in Italia et postea studuit in Grecia et ibidem effectus est episcopus qui vidit diuersas disputationes saracenorum et christianorum. Ad quorum similitudinem volens librum suum compilare introduxit et Alathiam id est veritatem et falsitatem sub forma pastorum disputantium.* Editiones lipsienses ac haec coloniensis, quae, ut infra monstrabo cō CCCC LXXXV. iterum prodīit, uno eodemque commentario, ad diuersos tamen codices impresso, instructae sunt; quis illius vero sit auctor, vix dicere, quum eius nomen nusquam adpareat, cuiquam certo licet. A Burmanno, ut sequentia docent, falso Bernardo tribuitur. Ciuem lipsiensem auctorem commentarii suspicatur Menkenius,

nius p, quia Lipsia olim, instauratis nondum sa-  
cris purioribus, ingenii et doctrinae mediocris sat  
multos monachos ostenderit, nec deinde opus hoc  
vsquam editum fuerit. Prius autem vi probandi  
carere, et posterius, vt supra demonstrauimus, fal-  
sum esse, quis est, qui non videat? Lessingius  
commentarium Patringtono fine testibus adscribit.  
Vt cunque se res habeat, fama, quam tali labore  
adquirere potuisset auctor, aut nulla, aut valde le-  
uis est. Conspicua enim, et adfirmante verissime  
Menkenio q, per totum opus *monachalis* eruditio,  
et ignavum quoddam, putidos scholasticorum fon-  
tes consecrandi, magnosque rerum ac verborum,  
vt cunque se obtulerint, nullo habitu delectu, acer-  
nos confrigendi, a maioribus denique tradita opi-  
nionum monstra non suae tantum aetati, sed feris  
etiam posteris commendandi studium. Quidam  
*Georius Kleber* quemadmodum folio XV videre est,  
litteras quatuor foliorum initiales striis rubris exor-  
nauit passimque manus qualiscunque nullius mo-  
menti glossas, verba Theoduli verbis explicantes,  
subiunxit. Officio meo non essem facturus satis, si  
hoc loco viri celeberrimi ac litteris tuendis nati  
BELII summam erga me humanitatem non iustis  
ornarem laudibus, nec gratias viro doctissimo per-  
soluerem quas possum maximas. Me rogante enim

C 5 praeftan.

p) N. M. L. T. VII. p. 715. q) l. c.

praestantissimus vir hanc editionem colonensem e  
praeclarissimis academie lipsiensis cimeliis ad me  
mittendam curauit, eaque re suum in litteris pro-  
mouendis feroarem demonstrauit. Qua quidem in  
causa nec SCHWABIVS, vir doctissimus et Pro-  
fessor meritissimus mihi defuit, quin potius singu-  
larem officia tribuendi voluntatem declarauit. Co-  
lonensis nomen imponam libro, quoties illius men-  
tionem facturus sum.

Habemus porro eclogam Theoduli, cum com-  
mento Coloniae c. ICCCC LXXXIII 4.  
editam <sup>r</sup>, et sequenti anno ibidem in lucem da-  
tam <sup>f</sup>. Est et impressa inter auctores octo opuscu-  
lorum ut Catonis, Faceti, Matthaei Vindocinen-  
sis etcet, per Stephanum Baland Lugduni c. ICCCC V.  
4. <sup>t</sup> eodemque anno prodit sub titulo: *Theodulus*  
*cum commento. Impressus per Richardum Auzoult*  
*commorantem Rothomagi pro Roberto Mace anno*  
*millesimo quingentesimo quinto die I. Aprilis u.*

Lubet hoc loco adiungere editionem peranti-  
quam, non addita mentione loci, anni impressio-  
nis et impressoris, forma quarta, editam, LXV.  
folia

<sup>r)</sup> MAITTAIRE I. c. p. 605. ESCHENBACH  
T. I. p. 582. de poet. christ. sacr. Sect. II,  
§. 23.

<sup>f)</sup> HALLERVORDII <sup>t)</sup> FABRICII B. L. Lib.  
Bibl. curios. p. 385. BEVG- XVIII. p. 654.  
HEMIL incunab. typogr. p. u) MAITTAIRE T. V.  
133. MAITTAIRE T. I. P. I. p. 12.

folia continentem et litteris romanis inscriptam:  
 Theodolus cum commentario. Circa initium: pro-  
 logus. Incipit prologus in Theodolum. Commen-  
 tarius ita incipit: multi licet magno excellenti inge-  
 nio viri ad praesentis libelli expositionem se appli-  
 cauerunt, tamen haud iniuria labor iste, quem ag-  
 gredior, superuacuus atque superfluus videbitur.  
 Dabo equidem operam, quantum magis valuero,  
 quo minus superfluus reperiar: nec intendo quoquis  
 modo ab his quae ab aliis bene conscripta fuerunt  
 ex arrogantia recedere. De auctore eclogae haec  
 memoriae prodita sunt: causa efficiens est pene  
 ignota dicunt tamen aliqui quod Theodolus ipsum  
 composuit. Alii dicunt, quod Ioannes Chrysosto-  
 mus docttor Theologus eminentis scientiae. Alii di-  
 cunt aliter, sed super hoc non est curandum mul-  
 tum. Et EGO CREDO, quod Theodolus non sit  
 proprium nomen auctoris, sed nomen nouiter inuen-  
 tum et sicutum secundum proprietatem rei et mate-  
 riae. Sub finem: sanctissima explanatio Theodoli  
 finit feliciter. Quod ad commentarium attinet, il-  
 lum ab homine barbaro, qui prima grammaticae  
 neglexerit rudimenta, compilatum esse, particula,  
 a nobis excerpta, et multa alia, in eo obvia, le-  
 ctores docere poterunt. Glossae manu scriptae au-  
 tem, vt omnes, quotquot in priscis editionibus re-  
 peri, leuissimi momenti sunt. Possidet hanc edi-  
 tionem

tionem doctissimus MULLERVS, a quo accépi. Quam copiose FREYTAGIVS<sup>x</sup> editionem describit, a nostra videtur esse diuersa. Non solum enim alia inscriptione instructa est: verum etiam ad alium codicem impressam esse video. *Ker' εζοχην* veterem adpellabo. Memoranda porro est praecedenti consocianda editio: *Liber Theodoli cum commento nouiter impressus. Venundatur Londoni apud bibliopolas in cimiterio sancti Pauli.* Commentarius, si a variantibus lectionibus quibusdam recedimus, cum praecedenti idem est. Sub finem legitur: *sanc*tissima* explanatio Theodoli finit felicit*e*r. Impensis Iodoci Pelgrim et Henrici Iacobi. In hoc opere sociorum. Anno clo CCCCC VIII. 4.* L folia complet, in figura autem, ligno incisa, sex personae conspicuntur, quarum tres genua flebunt, tres sedenti auscultant. Hanc editionem et praecedentem ad eosdem codices in lucem exiisse, non est vero simile. Certe in utraque lectiones, a se valde discrepantes, leguntur. Atque haec eadem est editio, quam infra simpliciter *Londinensem* appellaturus sum. Dedit mihi eam illustris Mulleri benevolentia mutuam<sup>y</sup>.

## Ecloga

<sup>x)</sup> Appar. litter. T. I. dulum cum expositione p. 497 — 501. clo Io VIII. 4. quae editio fortasse a nostra non <sup>y)</sup> Catalogus bibliothec Bodleian. recenset Theod. differt.

Ecloga Theoduli, teste Maittairio <sup>a</sup>, anno  
c<sup>o</sup> I<sup>o</sup> XV 4. in vulgus edita, ita inscripta est:  
*Theoduli liber cum commento: impensis Wynandi  
de Worde Londiniis in Fletestrete sub interfignio so-  
lis commorantis: anno millesimo quingentesimo de-  
cimo quinto, die X mensis Martii.* Quam denique  
exceperunt editiones Ioannis Kaenerii, cum libro  
de contemptu mundi Lugduni c<sup>o</sup> I<sup>o</sup> XXXVIII. <sup>a</sup> et  
Goldasti, in eiusdem manuali biblico, seu *enchiri-  
dib sacrae scripturae excusae* <sup>b</sup>. Quem ad codicem  
seu editionem Goldastus Theodulum imprimen-  
dum curauerit, ignoro. Hoc autem neque ad co-  
dices, neque ad editiones, quibus nos vsl sumus,  
a Goldasto factum esse, pro certo adsfirmare licet.  
Dici enim vix potest, quanta vitiorum copia referta  
sit Goldasti editio. Si qui vero sunt, qui editiones  
lipsienses, colonienses, ac londinensem paullo  
penitus intueri velint, multas fane guelferbytani  
ac helmstadiensis codicum bonas lectiones in iis  
inesserint intelligent, vt adeo credendum sit, si vel  
vincam ad manus habuisse Goldastus, emendatio-  
rem ab eo Theodulum fuisse editum.

<sup>a)</sup> T. V. P. II. p. 284. G E B A V E R V M 1. c.

p. 347.

<sup>a)</sup> Biblioth. Barberian. P. II. p. 454. RENATVS b) p. 22. sqq. Francof.  
MORAEVS 1. c. apud c<sup>o</sup> I<sup>o</sup> C XVIII. 8.

Multi quidem, ex editionis londinensis glossatoris sententia magno et excellenti ingenio viri ad Theoduli expositionem sese accinxerunt, at vero aut plures commentarii non exstant, aut multos in tenebris delituisse oportet. Nam prater a se inuicem discrepantes in Theodulum commentarios, de quibus supra sententiam tuli, non nisi duo, quod sciam, supersunt, Patringtoni mirum atque Bernardi labores, de quibus antea, quam huic scriptiunculae finem imponam, paucis differam necesse est. Non mirum autem cuiquam videri debet, tot commentarios in unam eclogam scriptos fuisse, quandoquidem superiori aetate, nulla monachis, sordidissimo alioqui otio torpentibus maior exspectari gloria potuit, quam scribendis eiusmodi in argumenti sacri scriptores macilenter commentariis. Fuit Bernardus Sylvestris ultraiectensis clericus circa annum c. I<sup>o</sup> CX clarus, atque, ut tum erant tempora, multam Theologiae atque Philosophiae laudem consequutus. Ex aliis illius ingenii speciminiibus nominabo hic tantummodo inter ceteros eminentem commentarium in eclogam Theoduli, in quo diuinas historias et saeculares fabulas

- c) N. M. L. T. VII. OVDINV<sup>s</sup> l. c. T. II.  
P. 714. p. 1005. coll. T. II. p. 480.  
d) SIGEBERTVS gemblac. POSSEVIN<sup>s</sup> l. c. T. I.  
l. c. cap. 169. p. 157. p. 229.

bulas allegorica expositione dilucidavit. Nondum quantum ego quidem iudicare possum, vtque ab aliis recte obseruatum est <sup>e</sup>, illud Bernardi opus bibliothecarum claustra perrupit. Certe ab omnibus commentariis, quos aut manibus tenui, aut de quibus alii cognitionem dederunt, multum differt. Etsi eniā Burmannus <sup>f</sup> commentarium editioni Kachelouenii adiectum, Bernardi opus esse iudicat, tamen, quem ipse adducit, P̄EZIVS <sup>g</sup>, falso haec dici, docere potuisse Burmannum. Is enim codicem commentarii MSC. windbergensis monasterii ipse inspicerat, cuius quidem initium hoc esse adfirmat: *Liber aequiuoce dicitur, nam liber appellatur Pergamenum.* Praefatio haec commentario praemissa est: *dilectissimo domino suo, sacro sanctae Traiectensis sedis episcopo, Conrado, suorum minimus clericorum, Bernardus, gregem sibi a deo commissum sic pascere, ut a summo pastorum Christo mereatur audire: euge serue bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis intra in gaudium domini tui <sup>h</sup>.* Atqui nihil horum habent quos recentius commentarii. Praeter memoratum codicem windbergensem commentarius Bernardi manuscriptus

- e) N. M. L. T. VII. *thes. anecdot. nonissim. §. 68.*  
P. 714.  
f) *Traiect. erud. p. 26.*
- p. 48.  
h) MARTENE et DV-  
RAND *Collecf. veter. Scriptt.*  
g) *Diff. ifagog. in T. I. et monim. T. I. p. 512.*

scriptus in parisina regia, in ciuitatis leidenis i  
aliisque bibliothecis adseruatur. Qui etsi olim au-  
ctoritatis atque existimationis habuit multum <sup>k</sup>, talis  
tamen non videtur esse, qualem scripsisse nostrorum  
hominum aliquis cupiat <sup>l</sup>, ita melioribus tinctus  
litteris, vt bene sciat vtilia, ab iis, quae sunt nihil,  
distinguere. In epistola dedicatoria <sup>m</sup> ad Conra-  
dum episcopum, quae praefationis loco est, enar-  
rat Bernardus causas, quae ipsum, vt Theodulum  
commentario illustraret, communuerint, simulque  
de ratione, qua in contexendo hoc opere usus fit,  
nos facit certiores: Primum enim, inquit, quic-  
quid in librorum principiis moderni et antiqui re-  
quirenda censem, proposui et exposui. Deinde  
Theodoli eclogam ad litteram et allegorice et pleris-  
que in locis moraliter explanauit. Nouissime vero  
dictiōnum quoque naturam pueris pueriliter aperui.  
Qua quidem ex re commentarii Bernardi eamdem  
fere esse naturam, quam in reliquis glossatorum  
foetibus

i) N.M.L.T.VII.p.713. trouvent encore, qu'il a été  
autrefois estimé des Gens de Lettres.

(LEYSER I. c. p. 299.  
DESELII Bibl. belg. p. 859.) cum hocce idem  
sit. cf. Histoire litteraire de la France T. VIII. p. 679.

k) Hist. litt. de la France  
4. c. On juge par le grand  
nombre d'exemplaires de son  
ouvrage (Bernardi) qui se

1) Quelque cas qu'on ait  
fait de ce commentaire dans  
les siecles anterieurs, on  
ne lui feroit pas apparem-  
ment le mème accueil en nos  
jours. Histoire litter. de la  
France 1. c.

m) MARTENE et DV-  
RAND 1. c.

foetibus animaduertimus, vel facillimo negotio potest demonstrari.

## XXI

Scripsit denique commentarium in eclogam Theoduli **STEPHANVS PATRINGTONVS**, sive Petringtonus, Eboracenfis, Theologiae docttor oxoniensis, monachus Carmelitanus, ordinis sui **Provincialis**, episcopus ultimo tempore Meneuensis et Ciceſtriensis <sup>n</sup>. Is vero ipſe Stephanus Patringtonus est, quem **LELANDVS** <sup>o</sup> Patrendunum, **POSSEVINVS P.**, **HENDREICHIVS** <sup>q</sup> et **LEYSERVS** <sup>r</sup> Stephanum *anglicum* nominant, et commentarium in Theodulum conscripſisse perhibent. Diem obiit supremum Stephanus anno **clo CCCC XVII.** <sup>f</sup> Vtrum illius commentarius publicatus sit, ignoratur. Namque ex omnibus, quos descripſimus, commentariis ne vnicus quidem praeſe fert nomen auctoris.

## XXII

Antea vero quam finem dicendi faciam, pauciflma adiicienda videntur ad monendos lectors. Neque

<sup>n</sup>) *BALEV*s de *Scriptt.* <sup>o)</sup> *De Scriptt. britan.*  
*Britan.* P. I. *Centur.* VII. P. II. p. 514.

<sup>p</sup>) *Appar. Sac.* T. II.  
Basil. **clo** **I** **LVIII.** fol. p. 432. Col. **clo** **I** **C VIII.**  
**BZOVIVS** in *annual.* fol.

*ecclef. Baron. cont.* ad an. <sup>q)</sup> *Pand. brand.* p. 193.  
**clo** **CCCC XVIII.** n. XXX. <sup>r)</sup> *I. c.* p. 299.  
p. 596. Col. **clo** **I** **C XXII.** <sup>f)</sup> *FABRICIVS* *I. c.* **LE-**  
fol. *FABRICII B. L. Vol.* **LANDVS** *I. c.*

**VI.** p. 592.

D

que ad vnum alterumque codicem MSC. seu editionem textum recudendum curauit, neque commentarium subiunxi, ex rationibus supra commemoratis: quae vero in hac noua editione praesiterim, indicaui. Commentario mythologico eclogam onerare post tot virorum doctissimorum opera, quae exscribenda mihi fuissent, neutquam videbatur necessarium. At enim in usum tironum notae mythologicae adponi potuissent. Quamquam vero illius lectionem multis voluptatem creaturam esse, non sine causa contendi posse videatur; non tamen suadeo, ut fabularum mythologicarum studiosi tirones adeant Theodulum. Ergo Theodusius denuo edi non debuisset. Quasi vero praeter tirones non essent, qui legant Theodulum. Immo vero plures rei litterariae amatores non solum desiderarunt nouam editionem, verum etiam si hoc negotium expedirem, pergratum multis me esse facturum, adsimilarentur. Atque in tanta Theoduli editionum, vitiis quam maxime refertarum, raritate, spes est, fore, ut, quam trado, editionem aequi bonique faciant lectores. Quam si reliquis castigationem politioremque esse iudicaturi, et conatus meos eodem, quem aliis poetarum christianorum, e.g. Sedulii, Prudentii aliorumque editoribus praebuere, assensu comprebaturi sunt, omnia me per eos consequitum putabo. Scripti Vinariae pridie Nonar. Ian. clo IoCC LXXIII.

I. G. S. SCHWABE.

## ADDENDA

Nostra, de Theodulo commentatione impressa,  
 in manus incidit recentissimus et aequo summo  
 acumine ac doctrinae vberitate conscriptus LESSIN-  
 GII libellus: *Zur Geschichte und Litteratur. Aus  
 den Schätzen der Herzoglichen Bibliothek zu Wolf-  
 fenbüttel. Erster Beytrag.* in quo celeberrimus au-  
 tor ad quaestione, ipsi a me anno praeterlapsa  
 propositam, respondit.<sup>t)</sup> Tum vero a viro docti-  
 simo petii, vt bibliothecae Guelferbytanae codices  
 Theoduli manu scriptos pariter ac editiones pro sua  
 in me humanitate recenseret. Precibus quam be-  
 nignissime respondit, misitque editionum, quae  
 ibi habentur, indicem, addita descriptione codicis  
 cuiusdam, quem reliquis bonitatis palmam praeri-  
 pere, saeculoque XI. scriptum esse, me fecit certio-  
 rem. Atqui eodem tempore accepi opera illustris-  
 simi Comitis A GOERZ, supra laudata, codicem  
 Theoduli membranaceum, in praecedentibus de-  
 scriptum, ad quem descriptionem Lessingii non  
 quadrare, lecto demum illius libro, in quo rem  
 copiosius expedivit, penitus intellexi. Itaque hoc  
 loco et ea, quae supra minus recte a me, inuito  
 scilicet, scripta sunt, emendari, et alia atque alia,  
 hic pertinentia, e libro memorato adiici posse vide-

D 2 bantur,

t) p. 248.

bantur. Tres nempe exstant in bibliotheca Guelferbytana codices MSS. quorum antiquissimus, folio minori, saeculo XII. scriptus, volumine, diuersos medii aei poetas latinos complectente, continetur. Textus glossis et commentario liber est. Poema autem neque ecloga vocatur, neque tetrastichium, sed inscribitur: *incipit Theodulus.* Secundus codex, forma octaua, habetur in *volumine miscellaneorum*, ex quo LEIBNITIUS quasdam Bennonis, episcopi Misnensis, scriptiunculas, in introductione ad tomum II. scriptorum Brunsuicensium p. 34. publicatas edidit. Caret itidem glossis et commentario, et inscriptio cum praecedenti eadem est. Post Theodulum scriptus est eadem manu *Ouidius de Nuce.* Tertius denique, qui in manus meas venit, forma quarta, continetur volumine, in quo praeter fabulas Anonymi elegiacas, *Neueleti Mythologiae aesopicae* insertas, exstant et *Desuasiones Valerii ad Rufinum ne ducat vxorem.* Ex mente LESSINGII reliquis recentior, iisque bonitate inferior est. Adducit auctor ex codice octo versus, in fine additos, quos hoc tempore et nos descripsimus, quibusque omnes aliae editiones et codices carent. Hanc de iis fert sententiam: *Iwer erkennet hier nicht das Gemächt eines noch späteren vnd noch barbarischern Mönchs? So schlecht auch die Verse des Theodulus sind, so sind sie doch nicht*

so gar erbärmlich, als dieser ab häuleiche Schwanz.  
Qua quidem ex re hunc codicem eundem esse  
cognoui, quem supra dixi a me cum MSCto Mul-  
leriano fuisse collatum. Qui vero quamquam sae-  
culo XI. seu XII. recentior est, nihilo vero tamen  
minus veritati consentanea sunt, quae de illius bo-  
nitate supra in medium attuli. Non solum enim  
bonae codicis Helmstadiensis lectiones hocce codice  
maxima ex parte confirmantur, verum etiam pro-  
bae notae ac verae lectiones ei insunt, quas in aliis,  
quas vidi, editionibus deesse intellexi. Ne desint  
exempla, contemplentur quae solo lectores at v. 8.  
calcamus v. 19. viridanibus v. 83. mandat v. 153.  
chori v. 154. ut alias omittam. Quam quidem sen-  
tentiam si quis cum ea conferre velit, quam tulit  
LESSINGIVS<sup>u</sup> de primo et antiquissimo Theo-  
duli codice, aut eum, quo visi sumus, a vetustiori  
descriptum, aut saltem ad hunc emendatum esse,  
animaduertet. Ex quibus omnibus satis luculentter  
patet, codicem, in commentatione nostra descri-  
ptum, esse eundem, quem e Gudiana bibliotheca  
in Guelferbytanam illatum et a Schurzfleischio ad  
saeclum XV. relatum fuisse, demonstrauimus.  
Commentarium editionum Coloniensium ac Lipsien-  
sium Lessingium sine testibus Stephano Patringtono  
adscriptisse, dixi. Sed pagina CCLII. libri laudati

D 3                    indicat,

u) L. c. p. 250. sq.

indicat, quod *Lauterbachius*, cui quondam cura  
bibliothecae demandata erat, in titulo editionis cu-  
iusdam, eam *cum Scholis Stephani Oxoniensis*  
prodiisse, scripserit. Ad ea, quae LESSINGIUS  
de editionibus Theoduli Guelserbytanis doctissime  
differuit, nil addere lubet, (nam et nos ea in causa  
longi fuimus) nisi quod antiquissimam de anno  
cl<sup>o</sup> CCCCLXXXVIII esse statuat, quum editiones  
anni cl<sup>o</sup> CCCC LXXXI. et cl<sup>o</sup> CCCC LXXXVIII.  
exstare, supra docuerimus.



PROLO-



## PROLOGVS \*



*ethiopum terras iam <sup>b</sup> feruida torruit  
aefas,*  
*In <sup>c</sup> canero <sup>d</sup> solis <sup>e</sup> dum voluitur aureus axis <sup>f</sup>;*  
*Compuleratque suas tiliae sub amoena <sup>g</sup> capellas*  
*Natus ab Athenis pastor, cognomine Pseustis:*  
*Pellis pantherae cui corpus texit utrinque <sup>h</sup>* 5

D 4 Discolor,

a) Ecloga nostra, versibus amoebaeis conscripta, in tres partes diuidi potest, in prologum, ipsum argumentum et conclusionem. Prologus continetur versibus I—XXXVI.

b) Codex Fabricii cum. vide Bibl. Graec. Vol. X. Lib. V. cap. 45. p. 546.

c) Editio GOLDASTI habet iam.

d) Mense Julio, quo sol dicitur confidere in signo caelesti cancri.

e) Refertur a veteri commentatore *solis ad praecedens cancer*. Ac male quidem.

f) Axis secundum Pa-

piam, quem commentator sequitur, est septentrionalis linea recta per medium pilam Sphaerae.

g) Editio antiqua apud FREYTAGIVM in Appar. litter. T. I. p. 499. *umbra*.

h) *Utrinque* occurrit in codice Guelferbytano et edit. Col. et Lips. In Codd. et reliquis editionibus male legitur *utrumque*. Nostram autem lectionem praferendam esse, quis est qui non videat? Ridicula sane est explicatio *utrumque* a commentatore in medium adlata. Significare nimirum putat *corpus et animalia*.

- Discolor, et rigidas perflavit fistula buccas,  
Emittens sonitum per mille foramina vocum.  
At i fontem iuxta pascebat oves Alathia,  
Virgo decora nimis David de k semine regis,*
- 10 *Cuius habens citharam fluuii percussit ad 1 vndam.  
Subsisterat fluuius, tanta dulcedine captus,  
Auscultando quasi modulantis carmina plectri:  
Isque balatum m grex obliuiscitur esum.  
Non tulerat n Pseustis, sed motus selle doloris o*
- 15 *Litoris alterius proclamat ab aggere tutus:  
Cur alathia canis rebus stultissima mutis? p  
Si iuuat, vt vincas, mecum (est) q certare potestas.  
Fistula nostra tuum cedet, si vincis in usum: r  
Victa dabis citharam; legem calcamus f in aquam. t*

Illa

- i) Sic legitur in Cod. Guelf. in omnibus reliquis ad.
- k) Editt. Col. et Lips. habent: *Virgo decora nimis de David semine regis.*
- l) Col. et Lips. volunt ad vndas.
- m) In Col. balatum.
- n) In edit. GOLDASTI reperitur: *non tulit haec, quod praferrem, si vel in vnico, praeter Goldastum, haberetur.*
- o) Haud sane video, qui factum sit, vt in codicem M. pariter ac editiones Col. et Lips. irreperitur draconis.
- p) Id est brutis; male Col. mutus.
- q) Col. et Lips. metum est.
- r) In nostro Cod. exstat: Fistula nostra tuum, si vincas, cedat in usum.
- MS. Guelferb. tamen potiori iure sequutus sum.
- f) Sic Codex Guelf. in reliquis coeamus.
- t) Ita omnes praeter Goldastum, qui vult unam.

Illa refert <sup>u</sup>: nec dicta mouent, nec <sup>x</sup> praemia 20  
mulcent

Me tua nunc <sup>y</sup> adeo, quia vulnere <sup>z</sup> mordeor uno: <sup>a</sup>  
Quo res cunque cadit <sup>b</sup>, testis ni (nisi) sedulus  
ad sit,

Si victus fueris, non me <sup>c</sup> vicisse fateris. <sup>d</sup>

Sed quia mutari nescit sententia veri,

En ad aquare gregem, simul et releuare <sup>e</sup> calorem, 25

Nostra venit Phronesis, sedeat pro iudice nobis.

Pseustis ait <sup>f</sup>: video, quod eam fors obtulit <sup>g</sup> vltro,

Huc ades o Phronesi: nam sufficit hora diei,

Vt tua <sup>h</sup> iam nostro postponas seria ludo.

Tunc mater Phronesis: ad aquato <sup>i</sup> me grege quam- 30  
uis

Accelerare domum iussisset vterque parentum;

D 5 Nec

u) i. e. respondet.

x) Cod. M. ne.

y) Idem nec.

z) i. e. vnicus tantummodo scrupulus in me infixus est.

a) MS. M. vna.

b) Cod. Guelf. cadat.

c) Editt. Lips. et Col. me non.

d) In Cod. M. versus 22. et 23. contra omnium codicum fidem ita leguntur:

Si victus fueris non me vicisse fateris,

Quocunque res cadit, nisi te-  
sis sedulus ad sit.

e) Male Londin. reue-  
lare.

f) Sic docta manus ad marginem Codic. Guelf. ad-  
scriptit, quam lectionem quoque confirmat Golda-  
stus. Omnes reliqui habent ad haec: Cod. M. ad hoc.

g) Male Goldastus et edit. Lond. detulit.

h) Edit. Lond. tuo.

i) Col. et Lips. ad aquare.

Nec dubitem <sup>k</sup> poenas, si quicquam tardo, paratas;  
 Laeta <sup>l</sup> feram, talis praesumens gaudia litis. <sup>m</sup>  
 Perge prior Pseusti, quia masculus <sup>n</sup>, illa <sup>o</sup> sequaci  
 35 Aequabit studio. Tetras <sup>p</sup> sit <sup>q</sup> in ordine vestro,  
 Pythagorae numerus <sup>r</sup>: sol augeat obsecro tempus.

k) Ita Cod. Guelf. et re-  
 te quidem. In editt. Lond.  
 et Gold. exstat non dubito:  
 in Cod. Helmstad. ne dubi-  
 tem: in editt. Col. et Lips.  
 nec dubito.

l) Tamen eas.

m) In Edit. Col. v. 24 —  
 29. post vers. 33. repetun-  
 tur.

n) Cod. M. masculis.

o) Alathia.

p) Quem inter symboli-  
 cos numeros locum quater-  
 nario tribuerit Pythagoras,  
 et quid in eius rheologia,  
 physiologia et ethica signi-  
 ficeret, tam diuersis agita-  
 tum et disputatum est veter-  
 um et recentiorum opinio-  
 nibus, ut post molestissi-  
 mam earum omnium disqui-  
 sitionem, multo incertior  
 discedas, quid Tetrastysspy-  
 thagorea sibi velit, quam  
 ante id suscepimus fueris.  
 Quidam magni nominis viri,  
 qui Pythagoram a Iudeis  
 purioris doctrinae semina  
 accepisse credunt, innuisse

eum putant, venerabile no-  
 men tetragrammaton ☰ ☱ ☲ ☳;  
 quam vero sententiam, alii,  
 tanquam fabulam recte re-  
 iiciunt, Pythagoram ali-  
 quida Iudeis accepisse, ne-  
 gantes. Nec desuere anti-  
 quioribus temporibus, qui,  
 quatuor animae facultates,  
 ex quibus veluti partibus  
 animam humanam compon-  
 nebant, a Pythagora intel-  
 ligiri vellent. Alii ad ani-  
 map mundanam, alii ad  
 quatuor virtutes cardinales,  
 alii ad quatuor elementa  
 Pythagoram respexisse au-  
 tumant. Alii in alias eunt  
 sententias. Nobis, ad ex-  
 plicandum hunc locum,  
 adnotasse sufficiat, num-  
 erum quaternarium fuisse  
 omnium perfectissimum, pri-  
 mum, ei radicem omnium.  
 Copiosius ea de re agit cel.  
 BRUCKERVS in Histor.  
 critic. Philos. T. I. p. 1052 —  
 1054.

q) Lips. et Col. sit tetras.

r) Cod. M. numeros.

## ARGUMENTVM.

## PSEVSTIS

**P**rimus <sup>c</sup> creteis <sup>t</sup> Saturnus <sup>u</sup> venit ab oris, <sup>x</sup>  
 Aurea <sup>y</sup> per cunctas disponens saccula terras. <sup>z</sup>  
 Nullus ei genitor nec quisquam tempore maior  
 Ipso gaudet auro superum <sup>a</sup> generosa propago. <sup>40</sup>

## ALATHIA

*Incola primus homo fuit in viridi paradise,  
 Coniuge vipereum <sup>b</sup> donec suadente venenum  
 Haust, eo <sup>c</sup> cunctis miscendo pocula mortis.  
 Sentit adbuc proles, quod <sup>d</sup> commisere <sup>e</sup> parentes.*

## PSEVSTIS

*Splendorem <sup>f</sup> tanti non passus Iuppiter auris <sup>45</sup>  
 Expulit illatis patrem crudeliter armis.  
 Discolor <sup>g</sup> argenti <sup>h</sup> mundi successit i imago,  
 Et iam primatum dedit illi curia diuum.*

## ALA-

- |  |                                  |
|--|----------------------------------|
| f) Cod. M. <i>primis.</i>              | c) <i>Glossa in Cod. Guelf.</i>  |
| t) Editt. Col. Lips. et <i>cum eo.</i> | d) <i>Goldast. quae Cod.</i>     |
| Cod. M. <i>ceteris.</i>                | Helms. <i>quod.</i>              |
| u) C. M. <i>Saturinis.</i>             | e) <i>Cod. M. commiscere.</i>    |
| x) Idem <i>boris.</i>                  | f) <i>Gold. splendorum.</i>      |
| y) Edit. Lond. <i>aureas.</i>          | g) <i>Editt. Col. et Lips.</i>   |
| z) C. M. <i>terras.</i>                | <i>discolor.</i>                 |
| a) Cod. M. <i>superno. Gold.</i>       | h) <i>Sic omnes Codd. prae-</i>  |
| <i>superam.</i>                        | <i>ter M. qui habet argento.</i> |
| b) C. M. <i>vipperium.</i>             | i) <i>Gold. lucebit.</i>         |

## ALATHIA

Exulat <sup>k</sup> electus de sede pia protoplastus,  
 50 Ac <sup>l</sup> cinis in cinerem naturae mutat honorem;  
 Ne tamen aeterni temeremur <sup>m</sup> sibi poni,  
 Flammeus <sup>n</sup> ante sores vetat ensis adire volentes. ¶

## PSEVSTIS

Egregio Cecropi <sup>q</sup> debetur caussa litandi,  
 Ille, bouis <sup>r</sup> primo rimatus <sup>r</sup> viscera ferro,  
 55 Sacra Ioui <sup>t</sup> statuit, quae posteritas celebravit  
 Condidit Athenas: adiuvuit <sup>u</sup> nomine Pallas. ✕

## ALATHIA

Immolat ante deum Cain, de semine frugum;  
 Frater Abel iustus dedit acceptabile munus,  
 Sponte ferens agnum, talis decet hostia Christum:  
 60 Ense cadit fratris, loquitur post funera sanguis.

PSEV-

k) Ed. Lond. et Col. exultat. q) Col. Cycropi.  
 r) Gold. bonus.

l) Male C. Guelf. at. m) Lips. et Col. tenere- f) Sic C. Guelf. et Gold. legunt. H. et M. rimar-  
 mur.

n) Poni Col. legit. o) Gold. Flamas. t) Gold. Louis. u) adimit Gold. p) Guelf. volentes. v) Edit. Vet. Pellas.

PSEVSTIS

*Lycaon y Arcas caelestes prouocat iras,  
Quando suas aedes inuasit Iuppiter hospes <sup>z</sup>  
Fallere tentando <sup>a</sup> nomen Iouis: exuit ergo  
Corpus et os hominis: facuit <sup>b</sup> lupus asper in aruis.*

## ALATHIA

*Enoch iustitiae polluto cultor in orbe  
Raptus de terra nulli comparuit vltra,  
Iudicis aduentum videns e<sup>c</sup> athleta secundum,  
Leviathan d<sup>d</sup> contra socio praececedet Elia.*

PSEVSTIS

*Venit ab oceano submergens cuncta vorago,  
Tellus cessit aquae <sup>e</sup>, periit, quod vixerat omne, 70  
Deucalion homines praeter <sup>f</sup> quem nemo superflue,  
Cum Pyrrha iactis reuocauit <sup>g</sup> coniuge saxis.*

ALA-

- y) Male docta manus in  
Guelf. mutauit in *Licaonen.*

z) Cod. M. *bosles.*

a) Gold. *cantando.*

b) C. M. *sentit.*

c) Sic Lips. et Col. in  
reliquis *fidens.* Idem vero  
*videns* est quod *praeuidens*  
ac melius quidem, quam  
*fidens.*

d) Id est Antichristum,  
contra quem Enochus et  
Elias hoc loco dimicatur*di- cuntur.*

e) Lond. atque.

f) Guelf. et M. *propter.*  
Ver. et Col. ac Lips. *praeter- quam.* Gold. *praetor* quem.

g) Guelf. et M. *renoua- uit.* Cod. Helmstad. et Lips.  
*reuoauit.*

## ALATHIA

*Vltio digna dei fontes dirupit abyssi,  
Octauum Noae h seruans in partibus arcae:  
75 A modo i ne talem patientur k saecula cladem,  
Visibus humanis per nubila panditur iris.*

